

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1139

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

13

HIEROGRAPHICI.

14

tur Librarius non nisi *unum* ejus Librum adgnovit. *Hieronymi* Prologum in L. *Esther* scribere auspicatus est ille a lacinia de *Rufini Alphabeto*, cujus *νοθεῖαν* perstrinxit *Vallarsius* in Not. ad *Hier. div. Bibliothecam*, *Martianaeus* vero in Edit. *Maur.* T. I. col. 1137. etiam demonstravit; sed monuit alia manus in margine: *Non scribas hic, sed postea*, et ad finem genuini Prologi: *Sequitur ruffini in libro, scribas sine capitali*. Neque igitur Corrector iste *νοθεῖαν* suspicatus est, sed ordinem tantum praeposterum castigavit. Ceterum variis in Exemplis legitur *Rursum* pro *Rufini*.

VII.

Pars altera S. *Biblicorum* ejusdem rationis Folior. 317. in principio et fine pariter adscripta *Monasterio S. Johannis in Seycz cartus.* ordinis omisso *Psalterio* progreditur a *Libellis Salomonis*, qui *Capitulationes* praemissas habent, *Canticum Cant.* vero etiam interfecta Colloquentium nomina. Ad calcem *Ecclesiastici* absque titulo comparet Locus ille e *Reg.* III. c. 8. et *Paralip.* II. c. 6. *Et inclinavit Salomon genua sua in conspectu totius ecclesie israel &c.* *Jeremiae* adjunctus est *Baruch*. Inter *Machabaeos* et *Matthaeum*, quo errore non liquet, incepta sed mox abrupta est *Apocalypsis*, quae demum post *Actus Apost.* a capite resumta est. Hanc excipiunt VII. *Epistolae Canonicae*, ubi I. *Joh.* c. 5. famosum Testimoni-

um a prima manu hodie sic legitur: *et hij tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus.* Dein jam rasum et rescriptum: *Et hij tres unum sunt.* Iterum a prima manu, sed inductum: *in terra. spiritus. aqua. et sanguis.* In margine vero omnibus his praeponendum notatur ab alia manu: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus. aqua. et sanguis.* Vides, quam labem *Voces* eadem brevi intervallo redeunt per *Scriptorum* inscitiam, aut incuriam *Codicibus* late induxerint. Sub finem iterum initium datum est *Paulinis Epistolis*; verum eae jam integrae Parte prior habentur.

VIII.

Codex membraneus lat. Sec. II. XIII. Folior. 389. 4. min. per duas columnas admodum nitide, minutissime tamen exaratus, literis initiorum, inscriptionibusque picturatis continet vulgati Interpretis *Sacra Biblia* praemissis *Hieronymi* Prologis, notisque Argumentis hoc ordine: *Pentateuchus*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, Libri IV. *Regum*, II. *Paralipomenon*, I. *Esdrae*, *Nehemias*, *Esdrae* Secundus, id est, *Tertius* apocryphus, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalterium*, Libri *Salomonis*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Prophetarum* majores et minores, II. *Machabaeorum*, IV. *Evangelia*, *Epistolae Paulinae*, *Apocalypsis*, *Actus Apostolorum*, *Epistolae Canon-*

nonicae. Josue c. 22. post verba v. 19. Quod si putatis, nescio cur, relictum est spatium pro verbis: immundam esse. Psalmi solis literis majusculis initiorum distinguuntur. Machabaeis praefixi sunt noti Prologi Rab. Mauri ad Ludovicum Regem et Geroldum Archidiaconum. Epistolis Pauli ad Titum et Philemonem interjecta est spuria ad Laodicenses, sola carens Argumento praevio. Testimonium I. Job. 5. ita conceptum est: Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater verbum. et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt (e margine inferitur: et tres sunt) qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis. Terminat Codicem Index Epistolarum et Evangeliorum in Ecclesia per annum legi solitorum, in quo dies Roberti Abbatis, et Index Vocum hebr. et graecarum; ille manu Sec. XIV.

IX.

U. 560 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 517. 8. paene quadro per duas columnas caractere valde minuto sed elegantissimo perscriptus, coloribusque illustratus et quondam Job. Fabri Ep. Vindob. exhibet *Sacra Biblia* vulgatae Interpretationis Prologis Hieronymianis instructa, et quidem *Pentateuchum*, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, IV. Libros *Regum*, *Paralipomena*, *Esdrae* L. I. *Nehemiam*, *Esdrae* L. II. nempe tertium apocryphum, *Tobiam*, *Judith*, *Esther*. Dein *Jobum*, *Psalterium*,

quod inscribitur *Liber hymnorum uel soliloquiorum quadruplex dauid de christo*, *Parabolas Salomonis*, *Ecclesiasten*, *Cantica*, *Sapientiam* et *Ecclesiasticum*, tum *Isaiam*, *Jeremiam* cum *Tbrenis* et *Baruch*, *Ezechielem*, *Danilem*, XII. *Prophetas minores*, *Libros II. Machabaeorum* cum *Rabani* Prologis ad *Ludovicum Pium* Imp. et *Geroldum* sacri Palatii Archidiaconum. Fol. 425. p. 2. orditur *Novum Testamentum* a IV. *Evangelistis*. Succedunt *Epistolae Pauli*, *Actus Apostolorum*. *Epistolae VII. Canonicae*, et *Apocalypsis*, cujus ultimae membranae a C. XIII. v. 11. excidere. Gen. III. v. 15. legitur: *Ipsa conteret caput tuum &c.* *Machab. II. c. 12. v. 46. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare &c.* *Job. C. VIII. habetur Historia Adulterae. I. Job. c. 5. v. 7. a prima manu sic: Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in celo. pater verbum et spiritus sanctus. et hii tres unum sunt. et tres sunt, qui testimonium dant in terra. spiritus aqua et sanguis.*

X.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3298 XIV. Folior. 368. f. max. per duas columnas pulchre exaratus, coloribus illustratus, et Librorum initis deauratis, atque picturatis continet *Sacra Biblia* vulgatae Versionis. Labor Miniatoris perfectus tantum usque ad *Paralipomena* pertingit; hinc usque ad *Isaiam* sola figurarum linearis designa.